



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio LXXXII. De Capitulatione ante novi Episcopi electionem facta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

ultatem concedere permittatur Episcopus, P. Schmalzgruber ad h. t. n. 15. in fine.
Ad X. Ibi irritatur de facto tantum rati promissio, seu declaratur esse nullus; non de jure, seu quasi opus de jure fuisset sententia annullans. Ad XI. Imprimis Passerinus in c. 9. b. t. in d. n. 2. & alii negant, huic reservationi locum esse post Tridentinum. Deinde negatur paritas; nam per talem reservationem non acquiritur jus illi, in cujus favorem facta est reservatio, & Legato permissum adhuc est mutare voluntatem. Per l. 3. l. 8. de servis expectandis. Gonzal. ad h. t. c. 2. n. 14.
Quoniam concessio vel promissio Beneficii nondum vacantis, si valeret, immineret jus collatorio vel promissario, & conferens vel promittens mutare voluntatem non amplius posset; & adeo foret periculum optandi vel capiendi mortem alienam &c. Quæ fuit una ex rationibus, propter quas Jura

hujusmodi collationes vel promissiones voluerunt irritas. Ad XII. Aliqui cum Garcia de Benef. p. 10. c. 1. n. 4. negant, consuetudinem hujusmodi, etiam immemoriam, introduci posse, utique quia putant irrationabilem esse. Deinde negatur, quod in Germania existet consuetudo promittendi propriè, seu cum intentione se obligandi, & alteri jus tribuendi ad Beneficia vacatura, cum videamus passim neglectis signaturis & promissionibus hujusmodi in speciem factis conferri & præsentari alios, ubi vacatura contigerit: quamvis igitur detur consuetudo dandi signaturas, & promittendi in speciem, tamen non per eas non acquiritur jus aliquod, vel rem, sed solam spem; quæ subinde consequitur effectum, præsertim apud illos, qui probro sibi ducerent non stare verbis suis, licet promissionem veram non continentibus.

TITULUS IX.

Ne Sede vacante aliquid innovetur.

DECISIO LXXXII.

De Capitulatione ante novi Episcopi Electionem à Capitulo facta.

SPECIES FACTI.

Aliquot abhinc annis quidam ex remota provincia hæc transiens percontabatur ex me, quid sentirem de hoc casu. Mortuus alicubi erat Epi-

Episcopus, qui ex re Salinaria multis retro annis amplissimos collegit redditus: Canonici Capitulares, ut suas auferent Præbendas, antequam ad electionem novi Capituli procederent, capitulariter congregati instituerunt tractatum, seu ut vocant, *Capitulationem*, interveniente juramento à singulis prælitato firmatam, vi cuius novus Episcopus, quisquis ex gremio electus fuerit, teneatur singulis vocem in Capitulo obtinentibus Canonicis deinceps quolibet anno penderere 500. florenos, ex prædictis rei Salinariae proventibus. Conventione hac, in quam omnes & singuli jurarunt, inita post aliquod temporis intervallum elegerunt unum, ex suo Gremio in

Episcopum, qui tamen, cum potestius & alterius anni lapsum Canonici exspectarent, & juxta datam sibi peterent suas pensiones, initio negaverunt, ac postea discretè nunc cogitare coepit, palam professus, se illas exsolvendis non adstringi, licet le, non addens, an iste casus re contigerit, nec ne, multo multum cum. Reposui ego, quod hæc per re mentem meam paucis in meo posuerim in meo *Candidato Lib. VI. n. V.* subjungens, quod hæc potestis, si forte evenire contingeret, sub examen accuratius revocare velim. Facta igitur prædicta thesi sequentem in modum & decidendi posse videtur

Q U Æ S T I O.

An Capitulum Sede Episcopali vacante potuisset prædictam facere Capitulationem?

Affirmaret utique Capitulum ex his capitibus: I. Conventiones & pacta liberè ac sponte inita super re honesta pariunt obligationem Juris Naturalis, nec ab uno paciscentium, parte altera invito, revocari valent, sed impleri debent: atqui hæc Capitulationis fuit liberè ac sponte inita ab omnibus Capitularibus, quos inter quoque erat postea electus Episcopus, & quidem super re honesta; non enim inhonestum cenferi debet, si Episcopus redditibus abundans aliquos cedat Canonicis unum cum ipso Corpus & Ecclesiam Cathedralem con-

stituentibus: ergo electus Episcopus obligatur implere dictam Capitulationem, nec ei contravenire potest, que minus, quod II. Capitulum Episcopali vacante subintret in versus jus Episcopale, possidet omnia, quæ sunt ordinaria jurisdictionis. Gl. & DD. in c. *illa b. t. in qua. Et in c. cum olim de Major. Obed.* ergo, cum Episcopus Sedem vacante possit utique cum Capitulo hujusmodi tractatum, etiam Capitulum Sede vacante cum Episcopo eligendo. III. Quod Capitulum Sede vacante valeat condere

totam Dioecesim obligans, & durabile etiam tempore Episcopi succedentis. Card. Tusch. *to. 1. litt. C. concl. 13. n. 1.* Barbosa *de Canonicis & Dignitat. c. 42. n. 73.* cum aliis: à for- tione ergo etiam pactum inire validum, in quod sponte quoque consentit Episcopus eligendus.

IV. Quod penes Capitulum sit Sede vacante executionem ultimarum voluntatum curare. Azor. *p. 2. lib. 3. c. 37. q. 6.* Zerola *Prax. Episc. p. 2. V. Capitulum §. 9.* Sed divisio redimunt, pro Ecclesia Cathedrali à Fundatoribus assignatorum, secundum æquitate inter Episcopum & ejus Canonicos Capitulares pertinet ad executionem ultimarum voluntatum, nempe Fundatorum: ergo. V. Quod generalis & immemorialis consuetudo in Cathedralibus Ecclesiis Germaniæ ferat, ejusmodi Capitulationes fieri ante novi Episcopi electionem: qua considerando, cum non repugnet Juri Divino & Naturali, pro valida, & pro jure haberi debet; præsertim cum VI. etiam à Statibus Imperii & Romanorum Regum Electoribus fieri consueverint tales Capitulationes, per quas novo Imperatori eligendo leges ponantur, ut notum est toti Imperio & Orbi Christiano. Quod si verò aliud obtineret de Jure Canonico, fortassis irritante hujusmodi Capitulationes, & leges eligendo Episcopo potestas, saltem VII. Juramentum iis adjectum produceret obligationem ad minimum Religionis (si non Justitiæ, firmato per illud tractatu) in Episcopo postea electo, qui religione jura-
(R. P. Pichler Decisiones.)

menti ad illius observationem cum reliquis Capitularibus se adstrinxit; cum omne juramentum suscipiendum, quod absque peccato servari potest. *c. 28. de jurejur. c. 2. de Pactis in 6.* Accedit VIII. æquitas, quæ suadet, ut, quod quis ab alio exigit, vel exigeret, etiam ipse alteri vel aliis præstet; ergo, cum electus postea Episcopus, si forsitan alius loco sui fuisset electus in Episcopum, exegisset utique ab eo Capitulationem observari, etiam ipse ex æquitate eandem observare tenebitur. Denique IX. favet etiam Jus Canonicum, quod *c. 9. de consuet.* irritat quidem, quod facit Capitulum contra Constitutiones, & Consuetudines Ecclesiæ, at vivente tantum Episcopo: ergo à contrario rectè inferitur, irritum non esse, quod facit Capitulum Episcopo mortuo, & alio nondum electo.

Verum enimvero tanti roboris hæc non sunt, ut in Capituli partes pertrahere nos valeant aut debeant. Dicimus igitur fidenter, cum omni tamen respectu, Capitulationem hanc, utpote Episcopo ejusque juribus præjudiciosam, non subsistere, & nec in Canonicis jus, nec in Episcopo obligationem inde oriri, vel ortam esse. Probatur I. ex Rubrica hujus Tituli. *Ne Sede vacante aliquid innovetur*, quæ, cum sensum perfectum habeat, pro lege habetur, & peculiariter intelligenda est de administratione ac dispensatione rerum ad Ecclesiam vel mensam Episcopalem pertinentium. Gonzal. *ad c. fin. b. t. n. 2. P. Schmalzgrueber b. t. n. 50. 56.* Et adhuc magis II. ex *c. 1. eod.* quod statum Ecclesiæ

O o o

Ecclesiæ

clesiæ mutari, & Sede vacante aliquid innovari vetat ex hac ratione, *cum non sit, qui Episcopale jus tueatur*: dispositio autem de rebus & juribus, quæ carent Defensore, non tenet. *rubr. Et text. c. fin. eod.* Iterum III. ex eo, quod inferior de jure Superioris disponere nequeat: sed Capitulum est inferius Episcopò, & per dictam capitulationem disponere attentavit de juribus Episcopi: ergo, IV. ex *can. 38. caus. 12. q. 2. c. 45. de Elect. x. Et c. 40. eod. in 6.* ubi Canonici prohibentur quidquam sibi vindicare ex juribus Episcopi vel Ecclesiæ. V. ex *c. fin. de Instit. Clem. 2. & ibi gl. V. Mensæ de reb. Eccl. non alien. l. 5. pr. ff. de auth. Tutor.* ubi ex communi Interpretum irritatur, quando quis in proprio facto, h. e. in commodum & utilitatem propriam, sibi præstare attentat auctoritatem: sed Capitulum in facto proprio, seu in utilitatem propriam, per dictam Capitulationem sibi præstare intendit auctoritatem: ergo irritè & nulliter fecit Capitulationem.

VI. ex *c. 27. de Jurejur.* ubi non tantum pactum à Canonicis, inter quos erat, qui postea factus Episcopus est, Sede vacante in damnum Episcopalis juris initum, verum etiam juramenta ei incautè adjecta (*que non juramenta, sed perjuria potius sunt dicenda, ut ait textus*) irrita declaravit Innoc. III. ergo etiam jurata hujusmodi Capitulationes invalidæ sunt. Id quod VII. confirmant Bullæ Recentiorum Pontificum, uti Constitutio S. Pii V. anno 1570. quæ incipit *Durum*. Con-

stitutio *inter Apostolicos* Gregor. XII. 1584. & novissimè Constitutio Ecclesiæ Innoc. XII. de 22. Sept. anno 1699. ubi ejusmodi Capitulationes, & similia juramenta his apposita, pronuntiantur nulla, si verò, qui illa scienter præsterint, usu & commodò rei, causa jurarunt, eo ipso privantur, & jectis aliis pœnis. Ergo Episcopo contravenire potest hujusmodi Capitulationi, etiam non petita relaxatione juramenti, utpote quo, tanquam nullum præstito, nunquam fuit obligatus.

Neque accesserunt negotium, quæ contra hanc resolutionem præterea multiplicata sunt. Ad I. R. Conventiones & pacta à SS. Canonibus irritata non producent obligationem: sed hujusmodi Capitulationes juri vel Ecclesiæ vel Episcopi præjudiciales sunt, ut à Jure; imò nec sunt de re honesta, utpote tertio damnosa. Ad II. Capitulum quidem subintrat in vacuum jus Episcopi Sede vacante, quæ ea, quæ pertinent ad jurisdictionem ejus ordinariam, & necessariam, cum multis limitationibus, quas non est etiam hæc, nisi aliquid specialiter prohibuitur Capitulo reperitur in *re. Barbosa c. 42. cit. n. 61.* cum ratio sit à se allegatis: atqui Capitulationes juri Episcopali præjudiciales specialiter prohibentur tum in jure Canonico, tum ex natura rei, Capitulo: ergo, nulli. Quamvis Capitulo permissum sit concedere, quæ darent etiam Episcopo, iterum constituto, & Sede vacante non tamen talia, quæ præjudiciales Episcopo successoris, quale est *liberum*

Capitulatio. Azor p. 2. l. 3. c. 17. q. n. Monera de distrib. quot. p. 2. q. 13. n. 24. Mol. tr. 5. d. 11. n. 7. qui insuper addit, quod Episcopus novus possit etiam statuta Capituli, illa quoque & salubria alia, revocare absolute, sicut statuta cujuslibet Antecessoris Episcopi. Barbosa n. 7. ubi aliis quoque modis limitat potestatem Capituli in condendis statutis. Accedit, quod ista Capitulatio non tam habetur, quam conventio & pactum.


Ad IV. Sicut Episcopus potestatem non habet exequendi ultimas voluntates in prejudicium tertii, qui inde jus habet acquisitum, ita nec Capitulum in prejudicium Episcopi aut Ecclesie, cui Fundatores tribuerunt certos redditus &c. dein prefata Capitulatio non tam in executionem ultimae voluntatis Fundatorum, quam in immutationem illius, satis cognita, venit, quae immutatio Capitulo non est permissa, imò nec Episcopo in prejudicium alterius jus quasitum & certum jam habentis. Denique necdum probatum est, Episcopo illos redditus ex re Salinaria redditus, quorum partem sibi attribuere voluit Capitulum, competere ex ultima voluntate Fundatorum. An non enim forte ipsi competunt tanquam Principi Imperii jure Regalium? si forsan esset talis Princeps. Ad V. Consuetudo quidem datur in Cathedralibus Ecclesiis faciendi ante electionem Capitulationes à futuro Episcopo servandas, at non alias, quam quae statum Ecclesie non immutant, nec huic, nec Episcopi futuri juribus adversan-

tur, sed potius augmentum cultus Divini, bonum fidelium regimen, Ecclesie utilitatem &c. spectant, & ad quae facienda aut omittenda futurus Episcopus vel aliunde jam obligatur, vel propter rei convenientiam obligari potest. Si alia alicubi detur consuetudo faciendi Capitulationes, Ecclesie vel Successori Episcopo prejudiciosas, non foret legitima consuetudo, utpote repugnans tam Juri Naturali, quam Sacris Canonibus; nec enim valet consuetudo, quod Capitulum Sede vacante exerceat ea, quae ei à Jure Communi non permittuntur, imò prohibentur, uti est res vel jura Ecclesie, aut Episcopi futuri alienare, permutare, immutare &c. per c. 1. § c. de quarta de Praescript. can. si que de rebus 42. caus. 12. q. 2. Barbosa n. 135. ergo neque consuetudo aliquid innovandi, quod ad jus Ecclesie vel Episcopi pertinet propter text. in c. 1. h. t. § c. 27. de Jurejur. &c. & propter violationem juris alieni, Jure naturali prohibitam, qua de causa talis consuetudo non potest esse rationalis.

Ad VI. Neg. tur paritas, quia Comitibus Imperialibus non est prohibitum Capitulationes, Caesari eligendo etiam prejudiciosas, facere, sicut Capitulo prohibitum est, & potestas adempta prejudicandi Episcopo eligendo per suas Capitulationes. Dein Jura & potestas omnis, quam obtinet Imperator vel Rex Romanorum electus, dependet à Statibus Imperii, non verò potestas & jura Episcopi à Canonicis Capitularibus: illi ergo limitare jura &

& potestatem Cæsaris, non verò isti jura & potestatem Episcopi limitare possunt. Ad VII. non ipsum duntaxat pactum, & Capitulatio tantum, sed etiam ipsum juramentum ei adjectum à Jure Canonico *c. 27. cit.* & à Bullis Pontificum, præsertim Innocentii XII. allegatis est vel irritatum, vel irritum declaratum, ut nec obligationem Religionis parere possit, præsertim cum sine præjudicio tertii observari nequeat, & sine peccato tum contra Sacros Canones tum contra Jus Naturale: juramentum enim non potest esse vinculum iniquitatis. *c. 18. de jurejur.* nec servandum est cum præjudicio tertii, aut cum peccato. *arg. c. 28. eod. & c. 58. de R. J. in. 6.* nimirum argumentò ductò à sensu contrario. Ad VIII. Æquitas non postulat, ut aliquis præster alteri, vel ut alii præstent sibi, aut præstari exigat, quod

Jura damnant, & licitè præstari non quit; imò dicitur contrarium. Ad III. Negatur *conseq.* quia argumentum contrario sensu deductum non concludit, ubi indè sequitur aliquid absurdum aut Juri repugnans, vel contrarium à Jure est expressum, & tenent plerique omnes. Dein in *c. proposuimus* Pontifici est tantum usus, quo Capitulum vivò Episcopo fecit constitutiones sine consensu Episcopi; ad quem Honorius III. respondit, illas non valere, quia præjudicârunt Juri Episcopali: ergo, & etiam Capitulationes mortuò Episcopò & Sede vacante à Capitulo præjudicare possint, & illa, de qua est Sermo, præjudicâsse videtur, res insertur, ex mente Pontificis præjudicâsse rationis, etiam hanc non valere: ergo *d. c.* potius favet resolutioni, & ei nullatenus adven-



TITULUS X.

De His, quæ fiunt à Prælato sine Consensu Capituli.

DECISIO LXXXIII.

De Prælato Ecclesiastico, prædium ad suam metropolitam pertinens alienante sine Consensu Capituli.

SPECIES FACTI.

IN cujusdam Principis Ecclesiastici territorio constructa de novo & fundata erat Ecclesia Collegiata, cui

duodecim Clerici, qui sacras functiones inibi obirent prædicando Verbum DEI, jus poenitentibus dicendo